



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Canon XXIV. De palmitibus vitis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

quando id agunt quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo preparatur & juberetur quod volunt.

CANON XXIV.

De palmitibus vitæ.

78 Ita sunt in vite palmites, ut vitæ nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale æmentum subministret eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum & manere in Christo, Discipulis prodest, & non Christo. Nam præciso palmite potest de vivâ radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

CANON XXV.

De dilectione quâ diligimus Deum.

79 Profusus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligatur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displacuit amari sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio. Ac sic secundum scriptas sanctarum Scripturarum sententias vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia cum & misericordia divina præveniat. Unde Abel iustus, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Jacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus (Heb. xi.) non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud quod jam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus (Philipp. i.) *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatur, sed etiam ut pro illo patiamini.*

A Et illud (Ephes. 2.) *Deus qui capit in vobis bonum operis, perficiet usque in diem Domini nostri.* Et illud (1. Timoth. 1.) *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed ut essem. Et illud (1. Cor. 4.) *Quid habes quod non accepisti?* Et illud (Jacobi 1.) *Omne datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.* Et illud (Joan. 3.) *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit de super.* Innumerable sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitas studio prætermittenda sunt: quia & revera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profiteamur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod & illius Latronis quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachariæ, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illam admirabilis fides, non fuit de natura, sed divina largitatis donum.

D Agendum hic esset de erroribus Lutheranorum & Calvinistarum in materia de gratia & libero arbitrio. Sed de hoc fusè egimus in Apologia Thomistarum, Tractatu de scientia Dei inserta: ibi enim præcipua Lutheranorum & Calvinistarum dogmata exposuimus, & quam magnum chaos inter Calvinistarum & Thomistarum doctrinam firmiter sit, ibidem ostendimus. Unde ad hunc Tractatum Lectorem remissimus, ut ibi perspicue videre possit, quam leviter & inconsiderate, Recentiores quidam Calvinismum aut Janсениsmum Thomistis assingant.

